

RESPONSIO M. BVCERI

dem intollerabiles illi, Christiq; fidem euertētes, attamen
eiusmodi, ut probent & Lutherum in eorum adhuc nu=
mero esse, qui hallucinari & labi possunt. Legantur quæ
in psalmos aliquando scripsit, & conferantur uersioni
psalmodum, quam postea ædidi. Conferantur & aliæ
eius lucubrationes priores, cum posterioribus, quam mul=
ta ubiq; , quantum ad scripturarum explicationem atti=
net, uariant, ut clarum fecit, sibi quoq; priorcm diem, po=
sterioris discipulum esse. Atqui præsens contentio ob quid
aliud est, quam quod interpretationi eius in uerba cænæ
Domini non subscribimus, quod scilicet non dubitemus ex
hominis ingenio natam? Ita & alia quæ hic annotaui, præ=
cipue propter scripturæ explanationes, annotaui.

Vt igitur constat, ipsum in explicandis scripturæ locis
posse labi, ita non debebat ægre adeo ferre, sua dijudicari,
& dijudicanda indicari. Neq; simplices & candidas an=
notationes, ut ipsæ de se testantur, uocare uirulētas. Opus
sibi integrum habet, & nequaquam crucifixum, tamen si
quædam in eo iudicari, & iudicanda monuerim, ut fra=
tres explorantes omnia, quæ uere Christi sunt, teneant.
A me sane gratiam non uulgarem imbit, qui mea scripta
sic crucifixerit. Habetis rationem Christiani eius, cur in
librum Lutheri à me uersum, præfatus ea sum, & annota=
ui, in quibus ostendo me ab illo dissentire.